

initio, nec desistet in finem usq;. Quapropter non est ab hominibus vel scriptoribus addiscendum potius quam ab illa, quam in dies videmus transmutare composita sua elementa in aliam atque aliam formam decompositam, & non in aliam materiam. Porro communis hæc omnibus rebus & elementis, ut non nisi formæ species inter se differant. Huius exemplum esto terra vacua, sterilis, & inanis, quæ sub dio tantum posita, sola rigatione per pluuiam, radijsque solaribus præter omne semen aliud, suas producit herbas, animalcula, nec non mineralia. Quis quæso non videt hanc esse naturalem transmutationem formarum, & non materię? Hoc etiam docemur exemplo, si formæ separantur ab elementis naturalium, hæc ad quamcumque formam idonea fieri. Quandoquidem una & eadem elementorum materia, non unam aut aliam, sed

omnes